

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

15

1326 agosto [...], Ind. IX, Matera

† In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo sexto. Regnante ... Roberto, Dei gratia ... Ierusalem Sicilie rege, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcacherie ac Pedimontis comite, regnorum suorum anno octavo decimo, dominante etiam ... Philippo, clare memorie Ierusalem et Sicilie regis filio ... principe in principatu Tarenti, principatus sui anno tricesimo tertio, mense augusti, die ... cesimo eiusdem, none indictionis, Matere.

Nos Stephanus, filius quondam Angeli Velocis et Rosa
 * filia quondam Iohannis de Iuliano, de civitate Matere, qui sumus vir et uxor, in presentia Clementis, principalis Matere iudicis, Iacobi iudicis Francisci, puplici eiusdem terre notarii, iudicis Francisci, presbiteri Eustasii, iudicis Clementis et aliorum testium subscriptorum licteratorum de eadem terra ... stante mecum predicta muliere Nicolao iudicis Clementis mundualdo [a] curia mihi dato in absentia mei legitimi mundualdi, stantibus etiam mecum duobus aliis proximioribus parentibus meis et in hoc consentientibus ... vendidimus ... magistro Angelo Barberio de Pomarico habitatori Matere et Churamarie, uxori sue, filia quondam Iacobi Angeli Senisi, de eadem terra Matere, foveam unam nostram, que est in Saxo Cavigoso ... cum giro et tornatorio suo, cum auctoritate caricandi et scarricandi in ea, pro tarenis auri decem et novem ... Eo tenore ut predicta fovea ... sit eiusdem magistri Angeli et Churamarie, uxoris sue ... pro eo quod ipsam pecuniam idem magister Angelus confexus est recepisce ... pro parte predictae uxoris sue in dote et in dotis ordine ... tempore sponsaliorum suorum ... Primarius finis est cripta predictorum iugalium, secundus

finis est cripta Francisci Nicolai de Vitali, tertius et quartus finis est platea ipsarum criptarum ... Unde ... guadium dedimus ... predicto magistro Angelo et Churamarie, uxori sue, stante cum ea pro mundualdo a curia sibi dato Heustasio iudicis Iohannis, de eadem terra Matere, nobis proinde fideiussoribus seu mediatoribus constitutis ...

† Clemens principalis Matere iudex

† Ego presbiter Eustasius testor qui supra

† Ego iudex Franciscus testor qui supra

† Iohannes sire Mathei de Conte

† Ego presbiter Stephanus de Paulo